

## C O R I T A N I .

**C**ORITANI nunc adeundi, qui interius ab ICENIS longissime per mediterraneam Insula partem diffusi, ad Germanicum usque Oceanum egerunt, in illis utpote regionibus, quæ nunc Northamptonshire, Leicestershire, Rutlandshire, Lincolnshire, Nottinghamshire, & Derbyshire vulgo vocantur. Ab horum Etymologia, ne incognita pro cognitis habere videar, manum abstinere. Licet enim longe lateque diffusus fuerit hic populus, quod Gur Tani Britannis denotat, CORITANOS tamen hos si inde dictos assererem, nonne aleam luderem? Qui feliciter hac poterint, tutius conjectent. Ego interea singulos, quos dixi, Comitatus, pro meo instituto, suo ordine perlustrabo.

## NORTHAMPTON-SHIRE.

**A**Ger Northantonensis, Saxonice Northampton-*scyre* & Northampton-shire, vulgo Northampton-shire, in ipso quasi Angliæ medietate positus, ab Occasu brumali qua latior est, sensim se contrahendo in Ortum æstivalem protenditur.

Ab Ortu Bedfordienses, & Huntingdonenses, ab Austro Buckinghamienses & Oxonienses, ab Occasu Warwicienses, à Septentrione autem Leicestrenses, Rotelandenses, & Lincolnenses *Avona* minori, & Wellando fluminibus discriminati sedent. Orientalem partem ab *Vsa* ad *Dowbridge* militaris Romanorum via, quam *VVatling street* vocant, percurrit, mediam & Orientalem *Nen* fl. qui à scriptoribus etiam *Aufona* dictus placide interfecat. Campestris, habitatissima, & nobilium villis excoltissima est regio, oppidis & ecclesiis refertissima, adeo ut nonnullis in locis xx, nonnullis xxx, plus minus sacræ pyramides vel turres simul aspectui se offerant. Soli admodum ditis, sive arva, sive pascua respicias: sylvis tamen nisi in ulteriori & citeriori parte minus læta. Ubique vero, ut etiam alibi in Anglia, ovis oppleta & quasi obsessa, quæ, ut Hythodæus ille dixit, tam mites esse, tamque exiguo ali solebant, nunc, uti fertur, tam edaces, atque indomitæ esse cæperunt, ut homines devorent, ipsos agros, domos, oppida vastent, ac depopulentur.

In Australi limite, ubi *Vsa* fl. sæpe jam dictus exoritur, molliter surgente loco, quo fontes afatim scaturiunt, *Brakley*, id est, *Filicetum*, insigne olim lanarum emporium, quantum & quam opulentum fuerit, advenis ex ruinis & *Majore*, quem pro summo magistratu habet tantummodo ostentat. *Zouchai*, qui loci Domini collegium ibi posuerunt, à quibus ad *Hollandos* & *Lovellos* quasi dotalis possessio successione pervenit, sed *Lovello* tempore Henrici Septimi proscripso, beneficio Regis acceperunt *Stanlei*. Collegium autem hodie lacerum ad Magdalenenses Oxoniæ spectat, qui pro secessu habent. Nec minima huic loco apud majores fuit celebritas ex *Rumbaldi* infantuli memoria, qui (ut in ejus vita legitur) regis filius ubi primum in lucem hic editus, nescio quæ sancta loquutus, & se Christianum professus, statimque baptisatus expiravit.

hinc ad Aquilonem vi mill. pass. nemorosa via emensi primum *Astwell*, ubi *T. Billing* Primarius olim in *Banco* Regio Iustitarius celebris habitavit, à quo ad antiquam *Lovellorum* familiam hæreditario devenit: & inde *VWedon*, & *VVapibam* vidimus quas familia de *Pinkney* per *Baroniam* tenuerunt, donec *H. de Pinkney* Regem *Edwardum* Primum hæredem scripsisset. Quem optimum Principem multi mali hæredem scripserunt, cum (ut inquit Tacitus) à bono patre non scribitur hæres nisi malus Princeps. Hinc statim *TRIPONTIVM*, quod memorat sed non suo loco Antoninus, pervenimus: nam hoc illud fuisse quod nunc *Torcester* vocamus, opinor; nec languidæ fidei restant argumenta. Si *Trimontium* Thraciæ à tribus montibus: *Triturrita* Tusciæ à tribus turribus: *Tripolis* à tribus urbibus nomina traxerint: à tribus pontibus hoc nostrum *TRIPONTIVM* denominatum fuisse, non est cur dubitem. Ecce tibi in hac *Torcestria*, via Prætoria sive militaris Romanorum, quæ planissime inter hanc & *Stonystratford*, plurimis in locis se ostendit, tribus præcipuis fluvioli divisi alveis interscinditur, quos olim, uti hodie, pontibus conjunctos fuisse necessitas persuadet. Si vero Britannum consulas quomodo tres pontes Britanni vocant, statim *Tair* ponte audies, & viri boni, à quibus hic numeros Romanos accepi, constanter asserunt *Torcester* verum esse loci nomen, & à turribus dictum putant. *Toucester* tamen *Marianus* vocat, si liber non mendosus, apud quem legimus, hoc anno *Salutis DCCCCXVII*, adeo munitum fuisse, ut *Dani* nullo modo expugnare potuerint, *Edwardum*que seniore lapideo muro postea incinxisse: nos tamen quærendo mœnium vestigia vidimus nulla. Solâ moles aggesta superest, *Beribill* vocant, in hortis privatis undique cerasis confita: & ipsum ita evicit tempus, ut situi, nomini, & antiquis nummis, qui subinde hic reperiuntur, debeat, quod vetustum censeatur. Nihil enim in eo memorandum præter ecclesiam quam habet unicam, amplam tamen & pulchram, in qua *D. Sponde* ejus olim Rector, quem de ecclesia & oppido benemeritum ferunt, in sepulchro affabre extracto conditur. Sed in vicinia eminent apud *Elton* speciosæ ædes Equestris familiæ *Farmerorum*.

Fluvius, quo *Torcestria* irrigatur, dum *Vsam* Grafton, hinc

Oves.

Vtopia  
Th. Mori.

Brakley.

Baronia  
Pinkenci-  
orum.

Tripontium.

Fl. præter-  
labentem  
Tone di-  
ctum ali-  
qui vo-  
lunt.